

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LXXXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

Prosecutus sum eos testimonio publico, ordinis Theologici nomine & commendatione privata, ad Dn. D. Jacobum Andreae, quem spero in tui, Ecclesiae Scholaeque vestrae gratiam, ut cum dignitate illic praefici possint; idque non in Scholae tantum sed populi etiam theatro. Adduxi tuum cumprimis, deinde D. Grynæi cum laude illic promoti, exemplum. Dedit hic uterque specimen concionando ejusmodi, ut non dubitem, cum singulari gratia doctrinam Christi promulgaturos in publico; qui nec rerum copia, nec facundia destituuntur, sicut nec iudicio, & valent eloquio admodum accommodato. Deceveram eos etiam uberius exercere, ut animi alacritatem firmarent, usum firmerent, sed id facile per Dn. Doctorem Andreae curabitur, quem precatus sum meis literis, ne id negligatur. Monui etiam ipsos, ut quia S. Theol. Candidatos se profitebuntur, comam alant, & vestitu utantur, eam professionem decente, ne vel in minimo ansam praebent calumniatoribus obtestandi. Idem si tu quoque feceris, pondus habebit monitio. Utinam verò eos in suum convictum D. Jacob. recipiat, quod non dubitem, eam conversationem multis modis salutarem ipsis fore. Perivi id ab optimo viro enixè, quo, si fieri queat, solidum in te beneficium conferat, ecclesiae futurum frugiferum. Bene vale in Christo JESU, cum uxore & Pappo & Collegis. Salutant te reverenter Coccius & Fuglin. Scripsi Basil. prid. Cal. Decembr. An. 71.

Totus ex animo Symmista & frater

Sulcerus, D.



LXXXI.

S Filios tuos & meos hesternae die ad iter expedivimus, quod DEO duce ingressi sunt, equis duobus conductitiis, satis commodis, comite & curatore vive equite, viro optimo, viarum gnaro, qui cum equos, tum equites, diligenter curaturus est, quali prorsus opus esse iudicavimus. Satisfecerunt hic omnibus, ut nihil post se querelae usquam reliquerint: & nemo, qui ipsos novit, non faustis votis prosequitur. Mihi jucunda fuit ipsorum conversatio: & tantum abest, ut, quod petebas, victus auferem precium, ut me etiam debitorem agnoscam, idque pro mea erga ipsos dilectione & pro tua in me meosque beneficentia. Commendatitias dedi ad D. D. Rupertum & Lucam Osiandrum, quo occasionem habeant, utrumque compellandi. Cumprimis autem ad D. D. Jacobum Andreae, ad quem diligenter & copiose scripsi, & enixè postulavi, ut in suum eos contubernium recipiat, quo sancta eruditae conversatione pietate pariter & doctrina auferantur. Nec dubito, quin vir optimus vel in tui gratiam, quem amore summo complectitur & reverenter colit, haud gravatim praestiturus sit gratum officium. Novi apud nos nihil est prorsus, nisi

nisi quod Helvetici duces, qui Galliae Regi militarunt, dimissi domum revertuntur: quod argumento est, pacem firmatam esse, post diuturnos intestinos tumultus, tunc nec aliunde ab externis imminere bella. Geneva etiamnum pestilentia grassatur, adeoque cum fame invalescit, propterea quod vicinorum commercia cessent, modico contagionis metu. De Venetorum successu si quid ultra ea, quae nuper allata sunt, typis excusa, certi habes, quae significat: num victoria semel concessa liberali utantur, neque enim dum debellatum est, adversus hostem potentem & pertinacem. Quanquam non tam ipsius vires & furores orbem Christianum atterunt, quam nostra peccata, quae hoc DEI flagellum in viscera nostra accerunt. Quae Bavarica domus in vicino vobis Marchionatu ad opprimendam religionem sinceram tentet & agat, cum dolore accipio: rogandus est Dominus, ut misereatur gregis sui, & dissipet impiorum molimina. Idem tueatur reliquas Ecclesias sub alarum suarum umbra, & quae pridem data sunt, per defectiones & corruptelas verae doctrinae vulnera misericorditer sanare dignetur. Cuperem etiam de iis certior fieri. Mitto caecos duos, quales in mea patria conficiuntur, levitense munus, γαλακταῖον χερόσιον, hoc est, tuis muneribus nequaquam par: quod si plures ejusmodi habere velis, curabo diligenter. Commendo te, Vir Reverende & charissime Frater, gratiae DEI, una cum honestissima conjugē, totaque familia & Collegis, cum primis autem M. Pappo, amico & fratre conjunctissimo meo, quibus salutem ex me dices amanter & reverenter. Salutant te mei Collegae D. D. Coccius & Fuglinus, Jurisconsulti item & Medici D. D. Amabachius, Grynæus, Isaacus, Platerus, Theodorus. Scripsi Basileae, 6. Decembr. Anno c1o 1o LXXI.

Consilium tuum, de filiis Theologicis insignibus ornandis, copiose D. Jacobo Andreae indicavi & commendavi, idque ut clam apud se, ceu depositum, habeat, donec sit aliis necessario communicandum.

T. R. d. ex animo deditiss.

Simon Sulcerus.



LXXXII.

Salutem in Christo.

Literas, quas Ulmenſi aurigae dediti, nondum vidi. Avide autem expecto, ut intelligam, quid de Illyrico sperandum ſit. Error ſemel agnoſcendus & damnandus eſt, alias noſtris Eccleſiis nunquam reconciliabitur. Transmiſit nuper ad nos Dux Joannes Wilhelmus &c. librum D. D. Wigandi, qui idem continet, quod

Ecc

mea